



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vera Concilii Tridentini Historia

Contra falsam Petri Suauis Polani narrationem

Pallavicino, Sforza

Antverpiae, 1670

Capvt XXVI. Lutherus accitus ad Conuentum, datâ Caesaris fide; adest:
interrogatur: quid respondeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11642

1520. Verumtamen, utcumque hominum improbitas, temporumque calamitas efficerent, ut ad tam grauem ictum nefasta hæc planta adhuc viua persisteret, viuet adeo debilitata, ut sperare iam liceat, non solum eius germina in præsens reprimenda, sed ipsam sæculo feliciore casuram. At verò absque huiusce securis ictu illam videre mihi videor occupantem suis ramis ingentem hanc Christi vineam, eamque in horridum nemus, in omnium bestiarum iustra miserimè deformantem: vnde contingat Germaniæ, ob effrænatam Lutheri hæresim, id quod Asiæ contigit ob sædam Mahumetanam superstitionem.

CAPVT XXVI.

Lutherus accitus ad Conuentum, datâ Cesaris fide; adest: interrogatur: quid respondeat.

Cœtus ille vehementer commotus est Aleandri rationibus, et eâ eloquentiâ adductis, quâ ipsas intenderet neruis, non effeminaret pigmentis. Quapropter cum eodem antea propenderet, rebus pluribus, de quibus ambigebatur, euanescentibus, à plerisque in eam sententiam itum est, Lutheranam hæresim esse funditus euellendam. Carolus verò eam adeo auersabatur, ut oblatas à Luthero literas, quibus ad excutiendum Pontificiæ auctoritatis iugum à Germaniæ ceruicibus illiciebat, legere recusauerit; quin eas repente conciderit, itaque concisas tradiderit Aleandro, qui ad Leonem mitteret. Non tamen cessabat factio Lutherana saltem moras innectere, satis gnara, tempus commutationum omnium parentem esse. Studuit idcirco ad æmulationem distrahere Aleandrum disputationis inuitamento, quam ille sapienter repudiauit, quemadmodum Colonia prius egerat; merito Romæ ob eam rem collaudatus, mandato etiam iniuncto, ut in eadem repulsa vsque persisteret.

Operam etiam dedere, ut idem laceffit in iniuriis incandesceret; si forte ad priuatam vltionem conuersus à sollicitatione causæ publicæ dimoueretur: eoque deuentum est, ut homo vilis, Consilij Cæsarei ianitor, animo Lutheranus, Aleandrum pugnis eius pectori admotis repulerit. Ille verò excelsi animi moderatione iniuriam tolerauit; cum satis intelligeret, perperam ab eo pugnari, quia configendo hostium Imperatore se flectat, quò acceptum à lixa vulnus vlciscatur: ostenditque se probè callere discrimen inter verum honorem, cuius mensura bonum publicum esse debet, ac popularem,

fularem, qui idolum quoddam est, ab ingeniis stolidè ferocientibus fabricatum.

3 Non tamen euitare licuit obstaculum planè molestum à Saxone propositum, aiente, dubitari posse, an multa ex impiis Operibus, quæ Lutheri nomen præ se gererent, eum reuerà auctorem haberent, ideoque non æquum videri, hominem non vocatum & inauditum damnari. Timuit Aleander, ne hic hominis accitus eò tenderet, vt in solempni disputatione Lutherus audiretur, cui ille inhæbat auidè, fretus linguæ suæ volubilitate, animi sui audaciâ, & communi auditorum inscitiâ. Quamobrem sedulò contestatus est apud Cæsaris administròs, non esse in controuersiam adducendum id quod à Romano Pontifice, supremo Iudice in rebus Religionis, sancitum fuerat; præterquam quòd non esset in potestate illius Conuentus, utpote profana, huiusmodi causis præesse: Lutherum denique Colonie palàm edixisse, recusari à se Philosophos, Canonum peritos, & vniuersum Ordinem Ecclesiasticum; proinde solum esse reliquum, vt Tribunal ab illo admissum ex meris Grammaticis ac Poëtis constitueretur.

4 Sed statim factus est certior, vocari Lutherum; non quòd proscriptos à Pontifice Romano articulos in concertationem adduceret, sed quòd declararet, an eos tamquam suam doctrinam agnosceret. Nihilominùs, tametsi illius rei causâ is acciretur, nec mora nec periculum vitabatur; quoniam homo factiosus, ac linguâ promptus, ardore vultus, & oris spiritu ad concitandam feditionem plurimum valuisset. Cùm etiam haud lateret, à quibusdam veluti sanctum illum coli, eiusque imaginem excusam fuisse, apicte supra verticem diademate more Sanctorum.

5 Urgebat Aleander, hæreticum manifestarium, à Romano Pontifice iam damnatum, neutiquam audiendum. Quòd si adhuc citandus esset, vt nouæ damnationis forma seruaretur, haud certè fidem publicam illi præbendam, quæ concedi non debet pro eo crimine, cuius nomine reus citatur. Sed in causâ magnis vtrimque patrociniis fulta, media plerumque consilia prævalent: præsertim verò Germaniæ libertatis mos est, in re dubia mitiorem sequi rationem damnandi. Missus igitur Fecialis minister Cæsaris, qui fidem publicam Luthero deferret. Hic Lutherus, quamquam multis dehortantibus, statuit eò se conferre; consiliisque suæ linguæ viribus, quæ elatus vniuersis Imperij Ordinibus sollicitudinem incusserat, sperauit ad sua signa vniuersos Imperij Ordines eadem se pertracturum.

Pars I.

P

Effecta

1520.

Effecta huius aduentus (quæ probrosissima fuerunt ignominia, supra quam Lutherana vniquam hæresis passa sit) describuntur à Suauis eâ artis industriâ, vt non per plurimum falsitatis, sed per plurimam veritatis silentium, rem tamquam illi sectæ admodum honorificam repræsentet; sculptores imitatus, qui è rudî saxo pulchrum simulacrum conformant, non addendo, sed demendo. Nos itaque, quò Lectorem edoceamus, rem distinctè pleneque proponemus, existimantes longitudinem breuitatemque narrationum ab eorum voluptate commodoque metiendam, quibus illæ scribuntur.

Venit ad Conuentum Lutherus, centum equitibus, quos nobiles eiusdem partium instruxerant, comitantibus. Iter facienti occurrebant populi, nonnulli studio, cuncti curiositate commoti. Cum octo solùm equitibus Wormatiam ingressus, ad hospitium prope Saxonem diuertit, atque è curru desiliens exclamauit: *Deus pro me stabit*. Eodem die tota ciuitas sollicitè confluit, quò monstrum spectaret seu sapientiæ seu nequitia. Conspectus tamen minuit existimationem apud multos doctrinæ, apud plurimos probitatis. Defecerat opinio doctrinæ, quòd eius argumenta, vt est natura sophismatum, amiserant fulgorem illum improvisò, quo aciem perstringebant; atque aduersus ea iam cognita in ipsius commentariis, exactâque sapientium virorum trutinâ perpensa, satis se quisque munierat: ac propterea ipse potiùs ad obiectorum nouitatem inermis euaserat. Ex altera parte aduersantem sibi experiebatur fauorem ac studium ipsius famæ. Sicut enim illa suis exaggerationibus hominis ingenium quasi supra conditionem humanam extulerat; ita quidquid in eo infra hanc mentionem apparebat, despiciatui ducebatur. Quod verò ad probitatem attinet: rudiores haud deerant, qui sub ea loquendi agendique ratione per lyphaticam auctoritatem, nescio quid diuinum suspicabantur; vt ex aduerso alij, ob eandem causam malo dæmone obsessum existimabant. At magis cordati, illius animum metientes tam eo quod per os eius intrabat, quàm eo quod exibat, planè agnoscebant in ipso multum intemperantiæ, superbiæ plurimum, plurimum iracundiæ, vno verbo, summam peruerfionem inferiorum appetentiarum, quibus edomandis studuit Euangelium. Quare haud illis verisimile videbatur, eum à cælo fuisse destinatum, tamquam ipsius nuntium & interpretem singularem. Atque in primo ad Cæsarem aditu tantum modestiæ in verbo ac gestu ne tantisper quidem valuit sibi mutuari ab arte ac reuerentia, vt qualis esset reapse dissimularet.

simularet: vnde lepidè Cæsar dixit: *Hic certè numquam efficeret ut hereticus euaderem.* 1520.

8 Postridie quàm aduenerat, Cæsarem adiit coram Comitibus die 17. Aprilis. Statimque ex Conuentus mandato interrogatus fuit ab altero Ioanne Eckio (quod nomen Lutheri damnationibus fatale) Treuirensis Archiepiscopi Vicario, viro docto, Catholico, & Aleandri necessario. Prima interrogatio fuit, an Martinus tamquam suos agnosceret libros ibi productos, aliosque suo nomine iam euulgatos. Aderant ibi viginti quinque circiter ex Operibus in lucem editis à Luthero, & Aleandri collectis industriâ. Simul etiam quaesitum, an vellet res in illis contentas sustinere. Ad priorem partem respondit, eos libros reuerà suos esse: ad posteriorem, tempus ad deliberandum postulauit in tam arduo negotio, quod ad Dei verbum, animarumque salutem pertineret. His auditis, Cæsar cum suis Consultoribus aliò secessit, aliò Septemviri cum ceteris Principibus, aliò etiam liberarum Ciuitatum Delegati. Dein cunctis in vnum conuenientibus, idem Eckius, Cæsaris ac Imperij nomine dixit: Absurdum videri, spatium ab eo ad considerandum deposci, cum ad dicendam super eo argumenta causam disertè in ius vocatus, debuisset in promptu responsum habere. In causa Fidei prolationem minimè concedi, proptereà quòd cum periculo atque offensione fidelium id contingit: nihilominus, ex summa Cæsaris clementia, vsque ad proximum diem tempus indulgeri. Postea illum admonuit, fuisse ab eo theses conscriptas contra Romanum Pontificem Sedemque Apostolicam, ac multas hæreses disseminatas, quibus nisi confessum fuisset occursum, nec ipsius retractationem postea, neque vim Cæsaris ad incendium extinguendum profutura. Sed hæc postrema verba in rem fortasse non erant, cum illi ceu periculum obiicerent id ipsum, quod idem ceu prosperum quid appetebat. Verumtamen visus est Lutherus egredi minori cum confidentia quàm fuerat ingressus; quippe intelligebat eò se adactum, ut vel partum sibi nomen exueret palinodiâ, vel Imperij totius indignationem subiret peruicaciâ.